

Sic emens mandato dicitur mihi posse retinere.

Secundo de obediencia res dicitur pretio maiori.

Singularis circa restitutionem difficultas.

Tertio, ob difficultatem solutionis pretium argendum.

Propter illam quomodo Officialis grauitate peccat cum onere restitutionis.

Quemlibet Officialium pro aliorum delictis.

exercere, vt non minus Regium patrimonium curaret, ac curaret suum: omnes autem minori, quo possunt, pretio res sibi student obtinere. Quia ratione teneri ad restitutionem, qui iustus aut rogatus rem aliquam emere, quam cum posset ab vno pro triginta, quæsiuit alium, à quo eam pro viginti accepit, affirmant P. Molina, P. Azor, & P. Reginaldus, quos adducit & sequitur Bonacina Tomo 2. Disput. 2. de Restitutione Quæst. 2. Puncto 6. num. 14. Quia scilicet debuit rem sibi commissam gerere utilitate mandantis inspecta.

26. Secundo, Onus lethale conscientia supra se tollit, si ipse aut ex fundo proprio collatas fruges, aut per negotiationem obrentas, pretio sibi commo vendat Regi, sub alieno Capite, cum illa minori pretio æque bonæ haberi possent. Quod quidem ratio dudum adducta confirmat: debuit enim vtiliter Regium tractare negotium, & non suæ utilitati fertire. Et idem est si amico emat maiori pretio in eius gratiam: omnis enim huiusmodi gratia ingrata est Regi, cuius & gratia & utilitas omnibus est aliis, dum illius negotium agitur, præferenda. Similiterque dicendum ratio eadem conuincit, si in amici gratiam fruges vitæ aut peioris conditionis ementur non minori pretio, quam aliæ meliores, quæ possent facile comportari. Vbi dubium esse potest cui sit restitutio faciendâ: an scilicet Regi, an verò Officialibus, quibus talia sunt alimenta distributa. Et videtur dicendum quod si in vsu erat meliora alimenta præbere, restitutio est Officialibus faciendâ: illi enim suo sunt commo, pretio æstimabili, defraudati. Si autem in vsu non erat, sed viliora dari solita, restituendum Regi, cuius est patrimonio damnus illatum.

27. Tertio. Prædicta procedunt quando in solutione nulla est futura difficultas: quia verò communiter illa est, & quidem non parua; res, quæ emuntur, maiori debent pretio emi, iuxta receptam doctrinam in materiâ emptionis & venditionis. Licet enim vsura sit vendere maiori pretio ob dilatatam solutionem: id tamen fallit quando in soluendo futura est difficultas: & multo magis quando faciendâ sunt expensæ à venditore. Pro quo P. Lessius Lib. 2. Cap. 21. n. 54. alios adducens. Et Bonacina supra Disputat. 3. Quæst. 2. Puncto 4. n. 17. 5. Ex quo fit, apud quem & alij. Et hinc est Regios Officiales grauitate peccare solutionem difficilem reddentes, quia videlicet in causa sunt, vt res carius emuntur propter huiusmodi difficultatem: vnde & ad restitutionem tenentur. Quod bene adnotat Pater Fragoius Tomo 1. pag. 922. num. 8.

CAPVT VII.

Quomodo vnus Regius Officialis pro aliorum delictis in conscientia foro teneatur.

28. TENERI absolute, non minus quam ob proprium, probat Dom. Solorzanus in Politicâ pag. 1024. 5. 1. Porque & seqq. ex eo quod in praxi ita receptum

est, & ex natura sequitur talium officiorum. Cum enim nihil disponi circa Regias arcas possit, in quo omnes non interueniant, omnes certe in delicto participant. Pro quo bonos producit Auctores, & ad fideiussores extendit. In casus autem contingentiâ, de quo specialiter agit, videtur contrarium resolueri, aut contradictione aliqua laborare. Ait enim fideiussorem, qui Lima pro Officiali soluerat id, quod ex Regis arcis deficiebat, lastum contra fideiussores Officialium aliorum in Audiencia petiisse, se tamen denegandum iudicasse; ob doctrinam quorundam Doctorum, quos ibidem adducit dicendum, cum quis ob dolum proprium, vel vt fideiussor dolosi talis conuenitur, non gaudere beneficio diuisionis neque omnes illi cedendas actiones. Iuxta hoc ergo fideiussores non sunt indiuidue obligati. Et præterea, si vnus conueniri specialiter pro suo delicto potest, quia circa Regias arcas delinquere sine aliis potuit: ergo non bene deducitur communis obligatio ex eo quod vnus nihil agere queat circa arcas Regias sine aliorum assistentiâ. Vbi non videtur dici posse Officiales Collegas infirmitate aut aliter impeditos, non adfuisse, & ita delictum vnus tantum esse potuisse. Cum enim impedimenta ista deberent esse manifesta, idem vnus tantum condemnatus, stultè à fideiussore lastum contra fideiussores alios esset postulatam, cum de illo dubium esse non posset. Et licet multa inconsideratè perantur ab iis, qui se iniuste grauatos dolent: in casu præfenti id non habet locum, quia circa petitionem talem Aduocati peritia laborauit, actorum notitiâ plenè instructi. Quid ad hæc? lam dico,

29. Resolutio Dom. Solorzani pro releuandis fideiussoribus optima est, eam tamen non in casu tantum prædicto currere, sed quando delictum omnibus est Officialibus commune, seu tale præsumitur, verosimilius haberi debet: durissimum namque onus est, quod nullus, qui fideiussor, sibi arbitratè imponere. Cum enim vix sit, qui pro vno fideiussore velit, & præsertim in Regiis Officialibus, quorum frequenter sunt exitus infelices ob summum in recuperando rigorem ea, quæ illi parum Regi fideles insumplerunt: quomodo inueniri queat, qui pro omnibus velit onus importabile sustinere? Cum ergo fideiussionis obligationem subeant, non est vltra eorum verba, quæ intentionem indicant, extendenda. Vnde & praxis non videtur iustificata, cum nulla talis sit, quæ grauet inuitos, quanto actio, circa quam grauamen tendit, omnino voluntarios prærequirit. Quemadmodum iustificata non esset praxis, si ex eo quod aliquis fideiussor sit, vxorem ad soluendum in eius defectum obligaret, quia tunc fideiussor esset inuoluntaria. Est autem receptissimus Canon, neminem vltra intentionem obligari: & intentio est verosimiliter explicanda, vt ex variis Textibus ostendit Glossa circa regulam iuris 81. in Sexto. Vbi & regula traditur ad dignoscendum quando est intentio verosimiliter conicienda; & inter alia dicitur illam non esse, quando dura obligatio redderetur: quod nostro in casu contingit. Et non omnem praxim iustificatam esse, constat ex iis, quæ ipse Dom. Solorzanus habet citatâ paginâ. 5. 1. esto, (como he dicho)

eligari, vt probat Dom. Solorzanus.

Circa fideiussores non videtur eius sibi contra-re doctrina.

Admittendam generaliter quoad illorum releuacionem, quando delictum non est commune.

Praxim circa hoc non videtur iustificatam.

Quia

Et ita pro foro conscientie non obligare, quia iuxta id fieri potest.

Neque illud ingratum Regi, cui vnus non grauat si proficiunt.

Castro.

Minera omnes Regio Dominio iure adiudicata.

Qui generaliter id fieri posse negant.

Ad consensum populi non bene recurrit Caramuel, cum debeat ad Pontificiam donationem.

30. Quia verò pro foro externo parum forte ita sufficient, putant enim iudices obsequium se prætare Regi, si priuatorum grauaminibus illius patrimonium tuncantur, quod tamen de piâ & Catholica non est eorum voluntate præsumendum: ad forum potest conscientia deleruire: vt talis videlicet fideiussor sciat, se non esse ad soluendum obligatum, nisi pro eo, cui fidem suam adstrinxit. Vnde & occultare bona potest, & vt etiam compensatione, iuxta communem scriptorum doctrinam. Et hoc quidem Regi pergratum fore non dubito, qui grauari contra æquitatem & rationem Vasallos non vult suos, quorum commoda vt propria optat fartatecta conseruari. Vnde melius quam Theodoricus Rex illa, quæ apud Cassiodorum leguntur, verba Lib. 1. 4. 8. potest vsurpare; A nobis quippe potestis rationabiliter custodiri, quibus prospectus non grauari. Al. Quibus profusis. Et melius. Quibus proficiunt. Et sensus est idem, sed clarior. Verissimè enim ita se res habet, vt tunc Vasalli Regi proficiant, quando grauari non sunt: membrorum enim grauamen nequit non in grauamen capitis redundare.

CAPVT VIII.

De iis, ex quibus in Indiis Regium patrimonium integratur, & quomodo illa tractanda, ne tractantium conscientia degrauentur.

S. I.

An Quintatio in conscientia debeat.

31. PEr leges Regias Mineræ omnes Regis Catholici Dominio adiudicatur: quod quidem iure efficit potuit, stante donatione Pontificis, de qua Titulo 1. cap. 1. cum sit Indiarum Dominus constitutus, dare id potest, quod illi conueniens visum fuerit, & quod non conueniens, retinere. Per quod cessat difficultas, quæ generaliter loquendo circa hoc posset occurrere: sunt enim qui negent posse Principes Mineræ vsurpare turâ conscientia, cum inuentoris sint & fructus industria. Sic tenent Syluester, Sotus, Bartholomæus, Medina, & Ludouicus, Lopez, quos adducit P. Dicastillus Lib. 2. de Iustitia & Iure, Tractat. 3. Disput. 9. num. 409. & ex eodem Caramuel in Theologia morali, num. 285. Qui & addunt in nullâ Republicâ bene institutâ legem inueniri aut consuetudinem, per quam Mineræ Principibus adscribantur. Contra quam positionem insurgit Caramuel loco citato: qui tamen ex eo saluare à tyrannidè huiusmodi legem contendit, quia populus in eam voluntariè consentit. Quod quidem difficile est. Vbi enim de tali populorum consensu constat? Et certè in Indiis nullum illius fundamentum extat: & ita in eis vt omnis suspicio iniustæ vindicationis amouetur, ad donationem est prædictam recurrendum. Cum aliis grauium Doctorum sententia sit, metallorum venas esse eius, cuius est solum. Pro quo P. Molina Disput. 54. & P. Mendus in Bullam Cruciatæ, Disput. 33. num. 7. In aliis autem Hispanæ Coronæ regnis, ad opinionem probabi-

lem, quæ Mineræ ad supremos Principes pertinere asserit, recursus habendus; quia ab ipsâ naturâ in jus publicum, non autem ad priuatos vsus videtur instituta: vt ex Soto Lib. 6. de Iustitia, Quæst. 2. Art. 3. pro eâ sententiâ laudato, habet P. Lessius Lib. 2. cap. 5. n. 53.

32. Licet autem Regij patrimonij factæ sint, Reges Catholici eas inuentoribus tradiderunt quoad præcipuam earum partem, aliam minus principalem sibi reseruantes; & deinde reliquas conferendo aliis, qui sicut & inuentores, quintam sunt partem puri metalli Regi tradituri. Licet alicubi propter specialem in eruendo difficultatem, decimam tantum reddere iubeantur. Vbi inquiri merito potest an lex ista conuenientialis in conscientia obliget, vel saltem non obligare sit aliquomodo probabile. Et vt probabile sit sequentia fundamenta succurrunt.

33. Primum & radicale ex adductis: nam Mineræ istæ sunt inuentoris, vt citati Doctores dicunt, & Princeps nequit, nisi ipsis volentibus, subditos eo iure spoliare. Licet autem pro Indiis hoc non videatur eurrere ob donationem dictam; id non videtur adeo certum: nam Pontifex Indica regna concedens, sic ea donauit, vt adinstar aliorum gubernentur, in quibus subditi naturali quoad rerum acquisitionem iure non priuantur: neque enim credibile est voluisse Regis Catholici subditos peioris esse in Indiis conditionis, quos ad fundandas colonias allicere conabatur. Atqui in Minerarum adiudicationem non videntur aliâs consensisse: ergo probabile est eos tali lege in conscientia foro nequiquam obligari. Nec dicas sub eâ conditione in Indias venire permisos: nam id non satisfacit; talis enim conditio non est iuri naturali conformis: & ita à Pontifice non apposta, sed oppositum potius, vt vidimus, indicatum, nolente vasallos Regios peioris esse conditionis.

34. Secundum. Lex prædicta videtur poenalis: ex illius enim transgressione, quod non est quintatum, amittitur, & Regio Fisco adiudicatur. Leges autem poenales in conscientia non obligare communis sententia est; de ciuilibus loquendo, de quo dictum non semel, & pro quo videri potest Caramuel supra num. 1281. & in Regulam Benedictinam, num. 30. & P. Eleobar de Mendoza Tomo 1. Lib. 5. Cap. 17. Problem. 26. Probatur autem poenalem esse ex grauitate poenæ assignatæ: ex nullo enim capite melius dignosci lex poenalis potest. Ita Auctores, quos adducit P. Baldellus To. 1. lib. 5. c. 19. n. 16. Si dicas furibus etiam poenas imponi grauissimas, & tamè præceptum non furandi in conscientia obligare. Instari potest: quia illud est præceptum naturale; secus autem in præfenti contingit; quia de inuentâ Minerâ nihil reddere alteri, iuri est potius naturali conforme. Et licet Princeps possit conscientias suâ lege constringere, id debet ex aliquo efficaci argumento constare, quale non est impositio poenæ, iuxta probabilem grauium scriptorum opinionem.

35. Tertium. Quia quando quinta pars reddenda per legem constituta est, metallorum effusio minus erat quæstiosa ob eorum pretiositatem, & Indorum abundantiam, rerumque aliarum copiam minori pretio comparabilem. Vnde jam

Quomodo inuentoribus à Regibus tradita.

Fundamentum 1. vt quintatio in conscientia non obliget, ex eo quod Mineræ sint inuentoris.

2. Quia est lex poenalis, & tales in conscientia non obligant.

3. Ex actione summorum in effusione.

Rebus non eodem modo se habentibus moderantibus contributiones.

Continua quarela eas indicant excedentes.

P. Molina.

Causam designationis Quinti cessare.

Pro quo efficitur argumentum.

Aliud simile & argenti.

jam dñi est quòd Minerarum Domini clamant obligationem quinationis esse prorsus excessivam, quòd & Regio Concilio sæpius inculcatum. De quo Dom. Solorzanus in Politicâ Pag. 934. §. De las quales. Rebus autem non eodem modo se habentibus rigorem contributionum non servandum, suadet æquitas, conuincit ratio, & auctoritas etiam scriptorum euincit. Sic enim P. Molina *Disput. 667. num. 1.* P. Vasquez *Tractatu de Reſtitutione, Cap. 6. §. 3. num. 6.* P. Azor *Tomo 3. lib. 5. cap. 23. §. sexto quæritur.* Pluresque alii, qui impositiones proportionatas esse debere docent, & eorum commenturatas viribus, qui grauior eisdem, vt etiam videri potest apud P. Molinam *Disput. 668. in principio.* Cuius & doctrina circa hoc, quòd de quærelis diximus, dignissima est quæ debeat singulariter obſeruari; sic enim scribit *Disput. 674. num. 6.* Si temporis progressu fiat semper querimonia de aliquo tributo, vt de grau & iniuſto, ac sine sufficienti causa introducto: aut quòd cessauerit causa, & quòd cum ea id tributum cessare omnino debeat, aut ex parte: certe antiqua consuetudo id recipiendi non est sufficiens ad pacandas Principum conscientias & ad auferendum jus suum à subditis. Sic ille.

36 Et quòd ad causam cessationem attinet, eà extante debere tributum tolli; ac, si non tollatur, non esse soluendi obligationem, communis resolutio est, de qua dictum *Titulo 1. num. 101. & 102.* & idem est de illius diminutione, si causa minus vrgeat. Hæc autem doctrina calui potest præſenti accommodari. Nam causa quintæ partis assignandæ ea fuit; quia consideratis expensis sufficientibus lucrum Minerario relinquere videbatur: Atqui causa designationis huius cessat ob rationes dictas; & ita videtur exactio ista minuenda. Quòd roboratur ex eo quòd vbi noua Minerarum detectio esse solebat, non quinta, sed decima pars solui iubebatur, & aliquando viceſima, vt testatur Dom. Solorzanus *Lib. 5. num. 23.* ob maiores scilicet expensas in principiis effossionis, quando & paranda multa, quæ ad metallorum deputationem necessaria sunt. Quòd si hoc potest sublatum non ex eo fuit quòd impositio exigua videretur, sed quia fraudum inde occasio sumebatur, ex antiquioribus Mineris clam metallis adductis, & ibi iuxta decimam registratis, ac Regio signaetulo consignatis. Quòd tradit Dom. Solorzanus in Politicâ Pag. 934. §. De las quales. Cum ergo maiores expensæ generaliter jam in effossione Minerarum deprehendantur, non debet quinta pars in rigore persolui. Cuius & aliud argumentum est à Dom. Solorzano petendum: qui *Tomo 2. lib. 5. num. 20.* obſeruat cum Torreblanca, homines, qui in metallis inuestigandis occupantur, Reipublicæ quidem esse vtilissimos; cum tamen ipsi ceteris pauperiores & fordidiore existant. Pro quo & *Lib. 1. Cap. 13. num. 57.* certè vt non fordidos dicamus omnes qui Minerarum domini sunt: quòd ad paupertatem attinet, ita ferè semper accidit: plus enim in debitis, quàm in censu habent; Regi; & his, qui necessaria ad opificium tribuunt, pinnis argenteis soluenda, vbi primum illæ è fornacibus educatæ fuerint, laborantes. Parum ergo est quòd illis relinquatur, dum ad quintam partem reddendam obligantur.

37 Quartum, ex quo id, quòd nuper est dictum, roboratur, & desumitur ex Cardinalis Lugo *Disput. 6. de Iustitia, num. 109.* vbi ita scribit: Oportet, & multum interest Republicæ maximis præmiis excitare & allicere ad Minerarum inuestigationem; quòd cum sit opus ingenij, laboris, industriæ, ac expensarum, non facile inueniretur qui ad hoc attenderet, nisi spe illa maximi lucri sibi proposui: immò experientia communis ostendit, ex his, qui huius studio attendunt inquirendi auri argentiq; venas in nobis Europæa prouincijs, paucos quidem discesse, plurimos depauperari. Sic ille: qui id, quòd de Europæis Minerariis dixit, de Indicijs potuit pariter pronuntiare. Cum ergo non debeant illi sine sua culpa præmio inuestigatoribus & laborantibus propositis defraudari, non sunt ad quintam partem reddendam obligati, quia illa reddita nihil illis præmij, sed appremij potius multum relinquatur.

38 Quintum. Graues scriptores in casu isto de obligatione in conscientia dubitant. Cardinalis Lugo *Disput. 6. citatâ, num. 208.* cum de obligatione dicta loqueretur, soluendi inquam partem, eam iustificari ait cum P. Vasquez *Tractat. de Reſtitutione, Cap. 5. §. 4. num. 17.* Quia agri ab initio in ea prouincia eà lege singulis distributi sunt, vt Mineralia Principis dispositioni referuarentur: vel quia per modum tributi sic statui potuit. Addit tamen in fine §. illius sic: An verò hæc leges obligent ante sententiam, dicitur Sectione sequenti. In sequenti autè Sectione post dubia alia, circa quæ diuersæ versantur opiniones, sic n. 130. inquit: Vltimò dubitatur an de facto leges circa thesaurorum applicationem factæ, obligent in conscientia. Vbi de Mineralibus videtur etiam loqui; quia de illis nihil speciale resoluuit, vnde resolutionem vt communem illis videtur proponere, & de omnibus pariter iudicare. Est ergo dubium, quòd, sicut alia præcedentia, vt tale proponitur: vnde resolutio, est contraria fit, non tamen vt certa, sed vt verisimilis exhibetur: sic enim scribit: *Alia autem leges, quæ penales non sunt (talem existimare videtur eam, de qua agimus) potuerunt quidem transferre dominium iustas ob causas in Fiscum, vel dominium agrorum, saltem quoad partem, & ideo videtur in conscientia obligare ante omnem sententiam iudicis.* Sic ille, nihil plus indicans, quàm quòd à nobis dictum est.

39 P. Vasquez *suprà num. 19.* ita scribit: *Apud Indos similiter Minerabilia non sunt Regi adiudicata, sed sunt Domini agrorum, meo iudicio: vel, si in loco publico sunt, inuentoris; quia solum inter nullius bona tunc est.* Sic ille. Circa obligationem conscientie eodem modo loquitur ac Cardinalis Lugo *num. 28. & seqq.* vbi & pro sententiâ negante adducit Mercadum, quem vide *fol. 128.*

40 Siluester v. Inuentum, *num. 13.* ita loquitur: *Secundum Petrum de Palude hodie vbiunque inueniatur thesaurus, de consuetudine est Principis. Sed ego dico istam consuetudinem in conscientia non ligare, quia non est introducta per modum legis, sed violentia, nec sunt unquam moribus ventionum approbata, nisi violentè. Est etiam contra Iura Canonica, quæ volunt bona incerta, si restituenda sunt, esse pauperum: & si sunt restituenda, est contra Iura Civilia, & contra naturalem æquitatem, vt patet in dicto. §. Theſaurus Insti. de rerum diuisione, vbi dicitur quòd D. Adrianus naturalem æquitatem secutus, &c. contra quam æquitatem consuetudo non potest.* Sic doctus ille Magister

4. Ex eo quòd Minerarum inuentores debeant singulariter imitari;

5. Ex scriptorum dubitatione circa talem obligationem.

Cardin. Lugo.

P. Vasquez.

Mercadum.

Siluester.

Dominic. Sotus.

Ludouicus Lopez, Barthol. Medina.

P. Fragosus.

P. Azor.

P. Rebellus.

Vltimum ex multorum præmissis, cum vnus ad probabilitatem satis.

P. Vasquez.

Mercadum.

Siluester.

Pro contraria positioe arguitur ex communi Doctore sententiâ de obligatione legis circa applicationem bonorum donationum.

ster inter Theologos ac Iurisperitos; quem secutus Mag. Sotus *lib. 5. de Iustitia, quæst. 3. Artic. 3.* addens in Hispaniâ seruari jus commune, & si alibi consuetudo illa non obtinuit, per vim, & contra jus nature cogentum fuisse introductam, Quæ quidem non ideò refero, quòd penitus approbem, sed vt saltem ex his verisimilis hæc pars, quæ probatur modò, appareat; & principum voluntatem non esse cum tanto rigore obligare, vbi & Ius commune renititur, & Doctores negant tutâ fieri posse conscientia.

41 Ludouicus Lopez, & Bartholomæus Medina apud P. Rebellum *Parte 1. lib. 1. quæst. 15 num. 14.* de thesauris loquentes, negant quidquam in conscientia deberi, licet lege aut consuetudine sit aliud constitutum. Mineralia autem venire nomine thesaurorum affirmat P. Fragosus *Tomo 1. pag. 263. §. Nec obstat.* Qui Auctor *pag. 264. §. Consequens est,* ita scribit: *Quoad venas metallorum quæstio est anceps:* an scilicet sint inter Regalia numerandæ. P. Azor *Tomo 3. lib. 1. cap. 13.* in fine ait dubiæ quæstionis esse, & de thesauris quidem cum Mercado sentit P. Rebellus *suprà num. 12.* licet de venis metallorum aliter sentiat, dicens eum, qui in fundo alieno thesaurum inuenit, ex industria quærens, posse sine Domini consensu medietatem retinere ante iudicis sententiam; quia lex pœnalis est, & solum ob iniuriam medietate priuat. Sicut ergo lex ita disponens non priuat inuentorem medietate suâ in conscientia fori, etiam si magnam interesse fundi Domino subtrahatur: ita de legibus, iuxta quas Regi aliqua est reddenda pars, videtur asserendum: vt non sit eius intentio conscientias grauius onerare.

42 Tandem ita censent quamplures viri docti in Indijs, vbi & praxis est frequentissima. Vnde si quis Confessarius Pœnitentem circa hoc velit vrgere, ad aliorum ille sententiam pro uocabit. Quòd si vir vnus doctus sententiam potest probabilem constituere, vt dictum aliàs cum multis, & pro quo potest videri Mag. Gallego in *Tractat. de Conscientiâ dubiâ, dub. 25. de Conscientiâ probabili,* apud quem id tenent Ioannes à S. Thoma, Monte-Sonus, Portel, Angelus, Nauarrus, Trullench, & ex Societate Pater Suarez, Pater Vasquez, Pater Valentia, Pater Thomas Sancius, & P. Sà. Quibus adde P. Escobar de *Mendoza Tomo 1. lib. 2. num. 12.* & Stephanum Spinulam in opusculo de Electione in moralibus *Disput. 2. Sect. 1. Conclus. 2.* Si inquam vnus id potest, quomodo non idem præstare queant, non plures, sed plurimi & erga Reges suos non solum benè affecti, sed affectissimi, Hispanicæ fidelitatis ritu.

43 Nihilominus in contrarium est communis scriptorum auctoritas, qui leges huiusmodi obligare in conscientia dicunt, quando circa applicationem bonorum disponunt, quorum ditio licet generaliter ad jus gentium spectet, in speciali acquisitione à legibus pender, vnde jus ad rem, & in re oritur, quando in illis nihil tyrannicum deprehenditur. Sic bona ad hæredes transeunt, Legata debentur, præscriptiones valent, Fulcidia, & Tribellianica detrahuntur, & similia. In casu autem nostro ita accidit; quia leges circa quintam partem disponentes valdè ra-

tionabiles sunt: circa quòd benè Philosophatur P. Molina *Disput. 56. §. vltim.* vt scilicet Principes in re supra priuatorum conditionem ob singulare pretium, & rerum supra alias æstimabilem abundantiam, partem saltem aliquam habeant, sicut habent sæpè in bonis alijs. Sic enim deficientibus cognatis vique ad certum gradum, Fisco bona intestatorum applicentur, & in pœnam criminum bona confiscata luatur taliter, vt si aliquis titulo cognationis Fisco auferret, iniustitiam committeret cum restitutionis obligatione. Et tamen dicere aliquis posset id non rectè fieri, sed in bonum publicum distribuenda, cui videtur à Principibus potius consulendum quàm sibi, & cui, si delictum interfuit, videtur delinquens iniuriam intulisse. Vnde in casu nostro sic tenent citati, Cardinalis Lugo, P. Vasquez, P. Rebellus, P. Molina, P. Azor, P. Lessius *num. 51.* P. Dicastillus, P. Fragosus, Caramuel, & præterea Dom. Solorzanus in Politicâ Pag. 934. apud quem Otalora, Gutierrez, Marquez, Salon, Alfarus, P. Gaspar Hurtadus *Disput. 1. de Iure, Difficult. 34.* Cardinalis Toletus *Lib. 5. Cap. 18. num. 4.* vbi & Vieſorellus, *Conarruuias Regula Peccatum §. 2. num. 4.* P. Turrianus de *Iustitia, Disput. 43. Dub. 4.* Bonacina *Disput. 1. de Reſtitutione, Quæst. 3. Puncto 6. num. 10.* Ramirez, Sixtinus, & Castillius, quos adducit & sequitur Diana *Parte 9. Tractat. 5. Resolut. 17.* in fine. Emmanuel Rodericus *Tomo 2. Summa Cap. 160. n. 5.* & alij.

44 Deinde, pro hac parte est manifestatio Regiæ voluntatis: sic enim scribit Philippus Secundus Proregi Peruuico Comiti del Villar *Ann. 1584.* *T pũdiera yo cobrar enteramente el Quinto de todo ello (ex elaborato inquam per artificium auro & argento) de las personas que le debere, estan obligadas en conciencia à me lo pagar.* Hæc ille. Nec iuxta priuatam quidem scientiam locutus, qui de obligationibus in conscientia non poterat adeo exactam cognitionem habere, in re præſertim adeo controuersâ. Id ergo post consultos Theologos, & Regios Indiarum Consultarios, confidenter pronuntiauit: & huic determinationi consonat lex Lusitana, de qua P. Rebellus *suprà num. 5.* iuxta illam enim quinta pars Regi referuatur, etiam ante latam sententiam. Cumque Regnâ ista eiuſdem Coronæ sint, & circa idem statuunt Reges, eodem modo videntur decernere, & ita obligationem in conscientia stabilire. Possent autem Principes obligare dicto modo, communis scriptorum, Theologorum pariter ac Iurisperitorum sententia firmat, de qua dictum *Titulo 2. n. 3.*

45 Accedit aliud magni ponderis argumentum. Nam ex auro & argento debentur decimæ, sicut ex fructibus terræ, vt ostendit Dom. Solorzanus *Tomo 2. Lib. 3. Cap. 21. num. 10.* & in Politicâ. *pag. 678. §. Asi mesmo.* & tradit P. Suarez *Tomo 1. de Religione Lib. 1. de diuino cultu, Cap. 34. num. 3. & 6.* & P. Vincentius Tancredi *Tract. 1. de Religione Lib. 2. Disput. 11. num. 7.* ex omnium mente: cum tamen in Iure Canonico non sit specialis pro illis decisio. Potest tamen, tum à simili ex alijs rebus; tum ex generali dispositione deduci, præſertim ex *Cap. Non est,* de decimis, vbi illa habentur verba: *De omnibus bonis*

Et Regis voluntas manifesta Philippo II. verba.

Vrgetur etiam quòd decima ex auro & argento debentur.